Toletana Canonicatus

Super Declaratoria.

Stantibus &c.

Dubium = *An constet de paritione, vel potius sit relaxanda declaratoria in casu &c.*

Reu. Pater. CVM nonnulli in Canonicos Ecclesię Toletanæ aggregari curarent, quorum Genitores Christianæ Religionis tramites nefariè trangessi fuerant, & in dicta Ecclesia varia scandala, & dissensiones oriebantur. *Summario num. primo in principio*, hinc euenit, vt aliqui ex illius Capitularibus Personis præsertim de infecta Hebræorum progenie descendentes tamquam de crimine hæresis suspecti intra eandem Ecclesiam de mandato Inquisitorum hæreticæ prauitatis illarum Partium capti, ac ex eis sic eorum exigentibus demeritis nonnulli combusti, & alij pœnitentijs publicis afflicti fuerant in illius Ecclesiæ, & illius Personarum non leue dedecus, & opprobrium, & Christifidelium scandalum, *Summario dicto num. primo litt. B.*, hinc Archiepiscopus, & Capitulum cupientes huiusmodi inconuenientibus obuiare Statutum ediderunt super Sanguinis puritate sub his formalibus verbis conceptum, ibi = *quodque ex tunc deinceps in perpetuum non nisi Clerici illustres, aut Nobiles, seù Litteris præditi in aliqua generali Vniuersitate Studiorum graduati, qui ab antiquis Christianis nulla Hebræorum, aut Saracenorum, seù Hæreticorum macula infecti originem ducerent ad Dignitates, seù Canonicatus, & Præbendas &c. in eadem Ecclesia pro tempore vacantia admitti possent, & si admissi ex certa, & vera Informatione, quod de Hebræorum, aùt Saracenorum, aut Hæreticorum progenie descenderent reperti fuissent, statim ab eadem Ecclesia expellerentur &c.* = vt latiùs ex *Summario dicto num. primo lit. C.*

Statuerunt etiam, vt omnes, & singuli, qui ad Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, portiones, & Beneficia in dicta Ecclesia essent admittendi, quod iurare tenerentur dicti Statuti obseruantiam, quodque non possent à S.Sede, nec à quocumque Prælato relaxationem iuramenti impetrare.

Statuerunt etiam, vt quotiescumque aliquis compareret in Capitulo ad petendam possessionem alicuius Dignitatis, vel Canonicatus &c.

 de-

deputaretur vnus Canonicus ex antiquis Christianis originem ducens à dicto Reuerendissimo Capitulo, vt informationes susciperet super qualitate illius, qui peteret admitti *Summario dicto num. primo* & san. mem. Paulus Quartus, non solùm dicta Statuta confirmauit, sed vlteriùs motu proprio præcitatis Statutis addidit, fortè pro indemnitate eorum, qui prouisi fuerant, ibi = *motu, scientia, auctoritate, & potestate supradictis tenore præsentium decernimus, & declaramus* = & voluit, vt Informationes circa recipiendarum personarum qualitates sumerentur absque dilatione, ac sublatis etiam de medio excusationibus quantumuis licèt iustissimis, & subterfugijs quibuscumque à personis à dicto Capitulo deputandis, qui assumere deberent onus sumendi Informationes ipsas, easque vsque ad debitum finem perficiendi, ad quem effectum summus Pontifex dd. Canonicis à Capitulo deputatis pro facienda, & perficienda dicta Informatione plenariàm facultatem, & potestatem concessit cogendi etiam per censuras Ecclesiasticas ad perhibendum veritatis testimonium, vt pleniùs ex *Summario dicto numer. primo litt. G., & H.*

Et denique decreuit, ibi = *si postmodum factis informationibus, iuxta Statutum, & ordinationem huiusmodi qualificatus repertus fuerit, eo ipso, quod in Festo S. Michaelis Arcangeli, seù alia quauis die pro receptione comparuerit, & Litteras prouisionis de Dignitate, aut Canonicatu &c. ipsi Capitulo præsentauerit, & propterea prò sui desuper receptione insteterit, ex tunc à die comparitionis prò debitè, vt in ipso Capitulo moris est recepto, & admisso, ac prò præsente, & residente in eadem Ecclesia habeatur in omnibus, & per omnia, perinde ac si comparitionis, & præsentationis suæ huiusmodi receptus, & admissus sicut præmittitur, ac in possessionem corporalem dignitatis, seù Canonicatus, & Præbendæ inductus tunc fuisset* = *dicto Summario num. primo litt. I.*

Cùm autem D. Ioseph Fernandez de Iubera Principalis fuisset per Sedem Apostolicam prouisus de Canonicatu, & Præbenda in Sancta Ecclesia Toletana per glor. mem. Clementem XI., & Literas suæ prouisionis in forma gratiosa expeditas præsentasset Reuerendissimo Capitulo Toletano, ad hòc, vt in earum executionem Canonicatus possessionem illi extraderet die 3. Octobris 1712., Reuerendissimum Capitulum respondit, vt exhiberet suam genealogiam, ad effectum, vt deputari posset Canonicus pro capienda Informatione ad formam dicti Statuti, qua præsentata Reuerendissimo Capitulo Toletano, fuit ab eo deputatus Canonicus D. Barnabas Antonius de Salazar, ad hoc, vt ad formam dicti Statuti Informationes susciperet, quibus completis deberet ad Ecclesiam Toletanam redire, hinc dictus Canonicus post susceptas Informationes tam in Ciuitate Seguntina, quæ est Patria Principalis, quàm in Terra

Acqua-

Acquauiuæ, & in Villa Matriti, in quibus Locis quàmplures Testes examinauit, antiquas Scripturas compulsauit, & alia peregisset die 27. Nouembris existens in Villa Matriti mandauit Notario, vt attento, quod nihil aliud faciendam superesset pro dicta Informatione Processum clauderet, & sigillaret.

Præsentato Rmo Capitulo, à d. Canonico Commissario eod. Processu quamuis dictum Reuerendissimum Capitulum nihil aliud agere poterat, nisi an ex dicto Processu fabricato à dicto Canonico Informante constaret de aliqua impuritate Principalis, cùm ex dictis Statutis, & Breui Apostolico nulla alia facultas dicto Reuerendissimo Capitulo tribuatur, & facultas conficiendi, & perficiendi Processum per Summum Pontificem totaliter concessa fuit Canonico informanti, nihilominùs quia Reuerendissimo Capitulo innotescebat, quod alter Ioseph Fernandez Iubera Patruus Principalis, & Canonicus Conchensis non fuisset admissus in Collegio Sanctæ Crucis, quamuis postmodum idem fuisset admissus in Iudicem Sanctæ Inquisitionis, nihilominùs ęgreferentes, quod tenebantur admittere in Canonicum dictæ Sanctæ Ecclesiæ Principalem, cuius Patruum non admiserat Collegium Sanctæ Crucis, & ex Processu facto per Canonicum Commissarium plenè constabat, admissionem illius tunc fuisse denegatam propter falsum testimonium duorum Testium, qui de auditu auditus deposuerant, Isabellam de Torres quintam Auiam Principalis fuisse Judaismo infectam, hinc Capitulum Decretum interposuit, quod probationes non essent completæ.

Cùm autem in Statuto expresſè caueatur, quod quotiescumque ex Processu facto à Canonico Informante constet de qualitate illius, qui petijt in Canonicum admitti, statim admitti debeat, *Summario dicto num. primo litt. I.*, hinc Principalis appellauit ad Sanctam Sedem Apostolicam à denegata sibi possessione par Capitulum, vt ex tenore Commissionis manu Sanctissimi signatæ, *Summario num.* 2., vocatoque ad Causam Illustrissimo Capitulo Toletano, & subscripto Dubio coram Reuerendissimo Decano = *An Litteræ Apostolicæ essent exequendæ* = affirmatiua prodijt resolutio, ex quo ex Processu à Canonico Informante confecto nulla apparebat probata macula impuritatis, sed euidens puritatis probatio resultabat, vt ex *Decisio- Reuerendissimi Lancettæ*, post cuius publicationem decreta fuit in contradictorio Partium Judicio Causæ expeditio, & publicata sen- tentia, qua non solùm pronunciatum fuit Literas Apostolicas pro- uisionis dicti Canonicatus esse exequendas, sed decretum Manda- tum de immittendo in possessione dicti Canonicatus, *Summario dicto n.2. litt.*K. *&* *L*; sed etiam condemnatum fuit Capitulum ad restituendum omnes, & singulos fructus, distributiones, & emolumenta quæcumque ei debita, tam ex Juris dispositione, quàm

 iuxtà

iuxtà formam Statuti dictæ Ecclesiæ, *dicto Summario numer.*
litt.O,

Obtinuit Illustrissimum Capitulum Toletanum per Signaturam Justitiæ committi Causam appellationis in suspensiuo cum clausula *Alteri qui ad legitimam* = & Commissio præsentatà fuit bon. mem. Reuerendissimo Ansaldo, coram quo disputato Dubio = *An esset procedendum ad legitimam* = pariter affirmatiua prodijt resolutio, in publicata Decisione confutatæ, magis, magisque fuerunt insubsistentes exceptiones impuritatis ex parte Capituli promotæ, & quidem vsque ad euidentiam, sublata etiam possibilitate prætensæ infectionis Isabellæ de Torres, vt pleniùs *in eadem Decisione* publicata de Anno 1717., in cuius sequelam paritèr decreta fuit Causæ expeditio,& publicatum Decretum pro exequutione Sententiæ Rmi Decani.

Post quam quidem Sententiam idem Illustrissimum Capitulum Toletanum recursum habuit ad Signaturam Gratiæ, & obtinuit Literas compulsoriales speciales pro compulsandis assertis Processibus factis per duo Collegia Regnorum Hispaniæ, nempè Collegij Sancti Idelphonsi, & Sanctæ Crucis, quarum Compulsorialium vigore retardatus fuit cursus dictæ Causæ spatio quatuor, & vltra annorum, & tandem probata irreleuantia plusquam clarè dictorum Processuum coram R.P.D. Auditore Sanctissimi, fuit ab eo interpositum Decretum, quo Causam iterum remisit ad hoc Supremum Auditorium, mediante signatura Commissionis cum clausula = *Alteri qui ad vlteriorem legitimam* = *dicto Summario num.2. litt. AA.*, & Pars aduersa ad formam dicti Decreti signari curauit à Sanctissimo Domino Nostro Commissionem directam R. P. D. Herrera cum dicta clausula = *Alteri, qui ad vlteriorem legitimam* = & cum facultate concedendi Litera Compulsoriales, proùt Juris fuerit, *dicto Summario num. 2. litt.GG*, quocircà concordatis coram Reuerendissimo Domino meo Ponente in locum dicti R. P. D. Herrera ad Episcopatum Siguntinum assumpti duobus Dubijs, primum nempè = *An sit procedendum ad vlteriorem legitimam exequutionem* = Alterum verò = *An Capitulo sint concedendæ Litteræ Compulsoriales speciales* quibus propositis in Rota habita die 11. Januarij 1723. emanauit resolutio in vtroque Dubio fauore Principalis, vt ex *Decisionibus* quæ registrantur *in dicto Summario num. 2. à litt.LL. vsque ad litt.*KKK.

Post dictarum Decisionum publicationem decreta fuit Causæ expeditio, & publicatum Decretum pro vlteriori executione Sententiæ Reuerendissimi Lancettæ Decani, *dicto Summario num. 2. litt.*
Et quamuis Illustrissimum Capitulum recursum habuerit ad Signaturam Gratiæ pro obtinenda signatura Commissionis in suspensiuo cum clausula reiecta fuit Instantia, & decreta signatura Commissionis cum clausula

sula = *sine praeiudicio Rei Iudicatae* = in cuius rescripti sequelam expeditae fuerunt Literae Executoriales cum insertione omnium Decisionum in Causa editarum, de quibus *in dicto Summario num.* 2.

Transmissis ad Partes praecitatis Litteris Exequutorialibus, quamuis Illustrissimum Capitulum omnes possibiles diligentias adhibuerit, nè de facto exequutioni demanderentur, sed earum executio retardaretur, aut perpetuae obliuioni extraderentur, nihil obtinere valuit quia adeò constans, & euidens agnita fuerit Iudicatorum Rotalium Iustitia, & exceptiones impuritatis à Capitulo propositae, adeò euacuatae, vt praetensio Reuerendissimi Capituli iniustissima, & omni fundamento destituta agnita fuerit, vt mediantibus suis recursibus non potuerit Illustrissimum Capitulum retardare dictarum Litterarum Exequutorialium exequutionem; Quocirca Litterae Exequutoriales notificatae fuerunt Illustrissimis D. Decano, & Capitulo Sanctae Ecclesiae Toletanae capitulariter congregatis, *Summario Num. 2. à litt. Q. Q. Q. vsque ad litteram A. A. A. A.*, & suscepto termino ad respondendum tandem sub die 28. Septembris dignati fuerunt Decanus, & Capitulum Ecclesiae Toletanae dare responsionem, in qua sub praetextu protestationis famosus Libellus contra Familiam Principalis, eiusque Ascendentes continetur, & quòd incredibile videtur etiam minus decorosum huic Supremo Auditorio, & Sedi Apostolicae, nàm primò dicunt, quòd ex causa solius timoris Censurarum dictis Executorialibus obediebant; Sine tamèn praeiudicio Statuti puritatis, & reseruato ipsis Iure prosequendi Litem in deuolutiuo, tàm in hoc Supremo Auditorio, quàm corà alijs Iudicibus, dicto *Num. 2. litt. D. D. D. D.*, dicunt quod ex parte Principalis non fuit adimpletum Statutum puritatis dictae Sanctae Ecclesiae, ex quo Principalis in sua Genealogia declarauit prò tertijs Auis Balthaxarem Fernandez, & Madalenam Ortiz, & prò quinta Auia Isabellam de Torres, contrà quos aderant graues Infectionis praesumptiones, *litt. F. F. F. F.*, dicunt, D. Hieronymum Iamon Nepotem dd. Balthaxaris, & Madalenae non fuisse admissum ex causa infectionis in Collegium Sancti Idelfonsi, ex qua non admissione debet praesumi impuritas, *litt. G. G. G. G.*, dicunt, quòd ex eadem causa infectionis non fuit admissus in Collegium Sanctae Crucis D. Ioseph Fernandez Iubera Canonicus Doctoralis Conchen., *litt. I. I. I. I.*, dicunt, quòd aliqui Testes non audent dictam Familiam qualificare prò pura, quodque Familia Principalis in Ciuitate Seguntina reputatur infecta, *litt. K. K. K. K.*, subiungunt, quòd volente Capitulo Siguntino Anno 1644. edere Statutum rigorosum puritatis fuit impugnatum à Praebendatis consanguineis Principalis, *litt. L. L. L. L.*, subiungunt, quòd illa vehemens praesumptio infectionis Isabellae de Torres non tollatur, ex quo praeten-

 ditur,

ditur, illam fuisse originariam Acquauiuæ, quia hæc natiuitas non fuit iustificata, nec de ea deposuerunt Testes, quinimò aliqui ex illis deposuerint, hanc natiuitatem fuisse ideatam, quodque si fuisset originaria Terræ Acquauiuæ, fuisset probatum de tempore, quo factæ fuerunt probationes à Collegijs, quodque in Ecclesia Toletana non admittuntur gratiæ, neque dispensationes circa Statutum puritatis, quodque Instrumenta producta prò iustificatione natiuitatis Isabellæ de Torres in Terra Acquauiuæ non merebantur fidem, dicto *Num.2. à litt.M. M.M. M. ad litt.S. S. S. S.*, subiungunt vlteriùs, quòd cum ex dictis resultent vehementes præsumptiones Impuritatis, Principalis noluit se subijcere nouis probationibus, sed recursum habuit ad Sac. Rotam, tandem non sine nota repræhensibili dicunt, quòd Principalis habuit confidentiam in opinionibus huius Supremi Auditorij, quòd in huiusmodi Causis non procedit cum illis principijs quibus proceditur in Regnis Hispaniæ, *litt.T. T. T. T.*, allegant, in hoc Supremo Auditorio nulliter in hac Causa fuisse Processum, *litt. V. V. V. V.*, tandem effutiunt, Principalem in hoc Supremo Auditorio obtinuisse Sententias, & expeditionem Litterarum Executorialium *VI NEGOTIATORVM, ET PROTECTIONVM*, dicto *Num. 2. litt. A. A. A. A. A.*, & tandem concludunt, quòd sub dicta protestatione, eaque semper firma consentiebant, vt extraderetur Procuratori D. Principalis Canonicatus possessio, *litt.B. B. B. B. B.*, decernendo, vt dicta protestatio per Secretarium Capituli describeretur in Libris Capitularibus, qui sunt deputati prò huiusmodi negotijs, vtque cuilibet Capitulari extraderetur Copia illius, dicto *Num. 2. lit.C.C.C.C.C.*

Non contenti præcitati Decanus, & Capitulum hac infamatoria, & contrà Christianam Charitatem protestatione, quàm ad perpetuam rei memoriam registrari mandarunt in suis Libris Capitularibus plùs ausi sunt, nàm de tempore, quo tradita fuit Procuratori Principalis Canonicatus possessio in Choro dictæ Ecclesiæ illius Cancella ferrea erant clausa, proùt clausa semper detinentur in similibus actibus, nihilominùs in casu nostro vix expleto d. actu possessionis Mandatum fuit aperiri Cancella ferrea Cori, ad hoc, vt in illum ingredi posset magnus Populi numerus, proùt ingressus fuit, & tùnc Secretarius Capituli alta, & intelligibili voce publicauit de verbo ad verbum dictam protestationem, & quòd peius est, copiæ illius inter Populos distributæ fuerunt, dicto *Numero 2. litter. F. F. F. F. F.*

Verùm quia Reuerendissimum Capitulum non restituebat fructus decursos Procuratori dicti Principalis, hinc iterùm notificatæ fuerunt Reuerendissimo Capitulo Toletano Litteræ executoriales, vt juxta

juxta earum seriem, & tenorem restituerent fructus dicti Canonicatus, & Præbendæ saltem à die motæ litis, dicto *Num. 2. litt. H. H. H. H.H.*, sed Reverendissimi Decanus, & Capitulum iterum insistendo in dicta protestatione subjunxerunt, *QVOD IVXTA STATVTA, ET CONSTITVTIONES DICTÆ SANCTÆ ECCLESIÆ IN SAC.ROTA PRODVCENDÆ NON DEBENTVR FRVCTVS, EX QVO PRINCIPALIS RESIDENTIAM NON FECIT IN SCAMNO PATIENTIÆ*, d. *num. 2. lit. KKKKK.*

Reproductis itaque coràm Reverendissimo Domino meo Ponente præcitatis Litteris executorialibus cum notificationibus, & actibus supradictis, *Summario Num. 3.*, & servatis consuetis quatuor terminis ad docen. de paritione, *Summario Num. 4.*, subscriptum fuit præinsertum Dubium, quòd cum in hodierna Rota proponatur rescribendum speramus *non constare de paritione*, sed esse relaxandam declaratoriam, proùt enixè supplicatur.

Quandoquidem cum in Litteris executorialibus mandetur Capitulo, vt non solum Principalem, vel eius Procuratorem liberè, & absque vlla oppositione illum immittant in possessionem, & fructus decursos restituant, dicto *Num. 2. litt. N. O. P.*, & *Q.*, vtique cum in actis constet de intimatione dictarum Litterarum executorialium facta à Notario Reverendissimi Nuntij Hispaniarum Decano, & Canonicis capitulariter congregatis, àc de reproductione Litterarum executorialium cum notificationibus, & actibus gestis in dicto *Summario Num. 3.*, & servati fuerunt quatuor termini ad docendum de paritione, iuxta stylum huius Sac. Tribunalis, de quo testatur *Vestrius in praxi lib. 8. cap. vltimo num. 19.*, quibus omnibus concurrentibus cùm non doceatur de legitima, & plena paritione locus est Declaratoriæ, proùt contrà idem Reverendissimum Capitulum Toletanum, respondet *Rota in decis. 75. coràm clar. mem. Alexandro VIII, & in alia Toletana Canonicatus 31. Ianuarij 1611. coràm Lancellotto Iunior. impressa post secundum volumen Consiliorum Farinacci.*

In præsenti non constat de legitima obedientia, & paritione Capituli, quòd cùm sit insigne, & nobilissimum, eò magis tenebatur Mandata Rotalia, seù veriùs Apostolica debita cùm reverentia, obedientia, & humilitate suscipere, & valdè est dolendum in Capitulo Nobili, & Cattholico, quòd Mandatis Rotalibus, imò veriùs Apostolicis obedire recuset, illa contemnendo, eisque indecenter contraveniendo, vt contrà Reverendissimum Capitulum Toletanum dixit *Rota in dicta decis. 75. coràm San. memor. Alexandro VIII., & in dicta Decisione 308. impressa post secundum volumen Farinacci.*

Et quidem ex dupiici capite est decernenda declaratoria, primò quia Procuratori D. Principalis non fuit extradita possessio controuersi Canonicatus, iuxtà formam Decisionum, sententiarum, & litterarum executorialium, sed contra illorum formam, cum enim hoc Supremum Auditorium per tres sententias conformes iudicauerit Principalem esse immittendum in possessionem controuersi Canonicatus, tanquam sanguine purum, & qualificatum, iuxtà formam statuti Ecclesiæ Toletanæ, confirmati per Sedem Apostolicam, indè fit, vt cum Decanus, & Capitulum possessionem Procuratori Principalis extradiderint, non quia Principalis erat qualificatus ad formam statuti, sed potiùs impugnando puritatis qualitatem, denigrando famam illius non dicitur per dictam traditionem possessionis obtemperasse litteris executorialibus, sed potiùs illas impugnando, dum hoc Sac. Tribunal Principalem declarauit purum, & qualificatum, iuxtà formam statuti, quodque tamquam sanguine puro, & qualificato, esset tradenda per Capitulum Canonicatus possessio, illam extradiderunt, tamquam impuro, & non qualificato, & in indiuiduo dixit *Rota in dicta decisione* 308. *num.* 5. *impressa post secundum volumèn Farinacc.* §. *Hinc quoque quæ datur partes manuscripta* ibi = *hinc quodque resultat contrauentio in possessione tradita, quia cum vigore statuti Ecclesiæ Toletanæ de puritate quis, debeat admitti ad Canonicatum non simpliciter, sed cum qualitate puritatis à statuto requisitæ, & sic possessio fit tradenda Canonico cum dicta qualitate puritatis hoc non fecit Capitulum, sed potiùs nedum tacitè, sed etiam expresè possessionem extradidit cum contraria qualitate, & sic Capitulum non solum contrauenit in non faciendo, sed etiam in agendo* = & subiungit præcitata Decisio rationes, scilicet *quia cum dicta possessio fuerit vitiosè, malitiosè, & indebito tradita perinde est, ac si non fuisset tradita, neque fuisset facta paritio nam vitiosè implere, & omninò non implere æquiparatur l. quoties &c., & idem est malitiosè implere, & qui facit, quod facere non debet, vt perbellè probat præcituta decisio* 308. *n.* 6. §. *contra quod*.

Et quidem contrauenit expresè Capitulum præcitatis Litteris Executorialibus ratione protestationis factæ in actu traditæ possessionis in qua Ascendentes D. Principalis, quos Rota puros nominatim declarauit, Reuerendissimum Capitulum è contra illos esse impuros, & ab impuris descendere professum fuit, persistendo in erroneis suppositionibus per Capitulum in Rota factis, & tàm solidè nostris Decisionibus confutatis, & ulteriùs præteritas falsas prætensiones renouando contra id, quod hoc Sac. Tribunal iudicarat, & quasi impugnando Decisiones, & sententias rotales, ac illas de iniustitia redarguendo, & protestando dè nullitate sententiarum, & quod peius est mandauit, huiusmodi protestationem referri

reseruationem remanere rescriptam in Litteris Ecclesiæ, & illam inseri in Testimonijs d. possessionis à Notario dandæ cum dicta responsione, quam ulterius in actu possessionis traditionis Secretarius Capituli cum magno Populi concursu in Choro dictæ Ecclesiæ publicè legit, quasi quod Capitulum ad perpetuam huius Familiæ ignominiam (utor verbis Decisionis Sac. Rotæ) voluerit hunc famosum libellum inquum, temerarium, & iniustum in suis Litteris in perpetuum conseruari, tàm in ignominiam D. Principalis, & suorum Ascendentium, quos Rota puros declarauit, quàm in contemptum Iustitiæ æqua lance administratæ in hoc Supremo Auditorio, quod de iniustitia redarguitur, & notatur, idcircò contrauentio non potest esse magis conspicua, prout totidem verbis ponderauit hoc Sac. Tribunal in dicta *Decisione* 308. *num.*2. *impressa post secundum volumen Farinacci* §. *Quibus omnibus*, quam ad partes distribuimus, cum sit punctualissima, & in ea precisè disceptatus fuit casus præsentis controuersiæ.

Quæ eo magis procedunt in casu nostro, non solum quia non erubuit in dicta protestatione hoc Supremū Tribunal de iniustitia redarguere, assèuerando, quod in hac materia statutorum puritatis Sac. Rota procedat cum erroneis principijs *dicto num*.2. *litt. TTTT*., *&* non solum Decisiones, & sententias de iniustitia, & nullitate redarguit *dicto num*.2. *litt. VVVV*., sed quod valdè mirandum est, & correctione dignum non erubuit in actu adeò publico, quèm inseri fecerunt in responsione data Litteris Executorialibus, sed etiam quasi per præconem in publica Ecclesia cum maximo concursu Populi alta, & intelligibili voce dictam protestationem publicare fecerunt, in quo inter cætera summa cum malitia, maiori iniquitate, & mendaciter dixerunt, Principalem in hoc Supremo Auditorio obtinuisse sententias, & expeditionem Litterarum executorialium per medium negotiatorum, & mediantibus protectionibus, *vt ex dicto Summario num*.2. *litt. AAAAA*. quod mendacium nulli magis notum esse potest, quam huic Supremo Auditorio.

Sed quo pacto id effutire potuerit Capitulum in actu adeo serio, quoties apparet, sententias huius Supremi Tribunalis innixas ex solo fundamento exuberantis iustitiæ, quodque exceptiones à Capitulo propositæ, & in dicta protestatione repetitæ, non solum totali carebant fundamento cum in nostris Decisionibus, non solum solidissimis fundamentis ad satietatem euacuatæ fuerint, & exuberanter probata remansit puritas Familiæ Principalis, sed etiam videtur quasi probata impossibilitas, quod Familia Principalis potuerit esse infecta; tot enim efficacissimæ probationes desumptæ fuerunt ex Processu facto à Canonico Informante, vt ex Decisionibus liquidissimè apparet, & Iustitia Principalis, non solum agnita fuit in hoc Supremo Auditario, sed etiam in Signatura Gratiæ, & Iustitiæ, ac

etiam

etiam ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Auditore Sanctissimi, & in omnibus Tribunalibus, & quod magis gloriam auget huius Supræmi Tribunalis agnita quoque fuit à Supremis Consilijs Regnorum Hispaniæ, ad quæ Reuerendissimum Capitulum recursum habuit, & recurrere non adhuc desistit.

Quibus stantibus decernenda videtur omninò declaratoria, donec, & quousque Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Toletanæ admittere dignentur D. Principalem ad Canonicatus possessionem, uti Sanguine purum, & qualificatum, iuxtà formam statutorum d. Sanctæ Ecclesiæ, & donec, & quousque deleatur ex Libris Capituli præcitata protestatio ad æternam Familiæ Principalis ignominiam conscripta; quia ita conuenit honestati, & legitimæ paritioni Litterarum Executorialium.

Non obstante, quod Capitulum non prohibebatur protestari, & Iura sua sibi præseruare, quia ut respondet *dicta Decisio* 308. *post secundum volumen Farinacci*, quod scilicet licèt quis possit protestari, nec tenetur cedere Iura, & prætensiones, tamen tenetur parere Executorialibus, nec potest eis contrauenire Mohedanus &c. hic autem Capitulum non stetit in solis terminis protestationis, & præseruationis Iurium, sed fecit declarationem contrariam sententijs, & Executorialibus, mandando, quod talis responsio, & declaratio registraretur in Libris Capituli, & insereretur in Testimonio possessionis à Notario dandæ, & sic multipliciter contrauenit, vt sunt verba præcitatæ decisionis, & ratione dd. contrauentionum est decernenda Declaratoria, vt discant Reuerendissimi Decanus, & Capitulum S. Ecclesiæ Toletanæ obtemperare Litteris executorialibus, & mandatis Apostolicis eo, quo par est obsequio, & reuerèntia.

Ex alio capite est decernenda Declaratoria ob non factam scilicet fructuum emolumentorum quorumcumque restitutionem, ad quam in Sententia Reuerendissimi Lancetta in ulterioribus Instantijs condemnatus fuit Decanus, & Capitulum S. Ecclesiæ Toletanæ, vt liquet ex *Summario num.* 2. *litt. O.*, & in Executorialibus sub pæna Excommunicationis mandatum fuit, vt omnia, & singula in sententia exequerentur, & exequutioni demandarentur *dicto nu.* 2. *litt. P.* quodque si Decanus, & Capitulum omnia, & singula in dicta sententia non adimpleuerint fulminantur censuræ *dicto num.* 2. *litt. R.*, & proindè tenebantur ad restitutionem omnium fructuum, & emolumentorum d. Canonicatus, prout ex hoc capite alias hoc Sac. Tribunal declaratoriam relaxauit contra Capitulum Ecclesiæ Toletanæ in Toletana Canonicatus 5. Nouembris 1610. coram Cardinali Lancellotto, & passim in alijs Decisionibus *vt in dec.* 556. *num.* 1. *coram Merlin.*

Non obstat, quod Decanus, & Capitulum fuerunt condemnati ad

resti-

restitutionem fructuum, redditruum, & prouentuum dicti Canonicatus decursorum vsque ad actualem possessionem, quatenus de Iure deberentur, nam indubitatum est, quod quoties Capitulum præstat impedimentum iniustum, ne prouisus Ordinaria, seù Apostolica Auctoritate capiat Canonicatus possessionem, tunc illius possessio habetur pro capta, eique omnes fructus, redditus, & prouentus, ac etiam distributiones quotidianæ debentur, perinde ac si possessionem cepisset, & residentiam fecisset in Ecclesia, vt per *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 3. proemial. num. 38., & gloss. 27. num. 46. Barbos. de Canon. & Dignit. cap. 18. num. 13. §. Amplia ibi & de Canonico, cui à Capitulo fuit denegata possessio, quod haberi debeat pro admisso ad effectum gaudendi prærogatiuis, & emolumentis aliorum Canonicorum dixit Rota in Pacen. Canonicatus 27. Iunij 1612. coram Manzanedo, & in Toletana Canonicatus 5. Nouembris 1610. coram Card. Lancellotto Rota coram Manzanedo dec. 274. num. 1. & 2. Rota dec. 227. coram Pamphilio, ibique Adden. Rot. dec. 341. num. 1. & 2. coram Gregor., vbi plenè adden. litt. A.*

Et non solùm ex dispositione Iuris Principali debentur restitui omnes fructus, emolumenta, & distributiones dicti Canonicatus ab eo tempore, quo fuit impeditus possessionem accipere ex iniusta Reuerendissimi Capituli Impuritatis exceptione, quam fuisse iniustam detegunt decisiones, & sententiæ huius Supremi Tribunalis canonizatæ per Signaturam Gratiæ, sed etiam debentur ex speciali prouisione, & dispositione Statuti dictæ S. Ecclesiæ Toletanæ confirmati in forma specifica per Sedem Apostolicam, cuius obseruantiam, non solum iurare debent omnes Canonici in primo Ingressu, sed etiam debent iurare, non impetrare, neque à Sede Apostolica, neque ab alio quocumque Prælato dicti Iuramenti relaxationem *d. Summ. num. 1. litt. D. §. Quod omnes, & singuli*, in eo enim post specificam confirmationem Statuti puritatis Summus Pontifex motu proprio præscripsit regulam, qua fieri deberent per Canonicum Commissarium à Capitulo deputandum suscipi deberet Informationes super qualitate puritatis, eique soli concedit facultatem faciendi, & capiendi, ac complendi, & finiendi Informationes, & quemadmodum in Statuto declarabatur, quod si ex Processu constaret, quod Prouisus esset maculatus de progenie Hæbreorum, aut Hæreticorum, quod tunc non deberet admitti, nec illi de fructibus responderi *Summ. num. 1. litt. C.* ita quoque Summus Pontifex consulendo indemnitati Prouisorum mandauit, *quod si postmodum factis Informationibus, iuxta statutum, & ordinationem huiusmodi qualificatus repertus fuerit, quod tunc eo ipso pro debitè, vt in ipso Capitulo moris est recepto, & admisso, ac præsenti, & residente in eadem Ecclesia, habeatur in omnibus, & per omnia perindè ac si comparitionis, & præsentationis suæ huiusmodi receptus*

& ad-

& admissus, ac in possessionem corporalem Dignitatis, Canonicatus, & Præbendæ &c. inductus tunc fuisset, *vt ex Summ. num.* 1. *litt. I.* & proinde iuxtà formam dicti Statuti haberi debet pro admisso, præsente, & residente à die, quo post factas informationes repertus fuerit qualificatus, quocircà cum die secunda Ianuarij 1713. fuit in Capitulo publicatus Processus, & examinatus, quamuis Capitulum tunc Principalem non admiserit, sub prætextu, quod probationes non essent finitæ, nihilominus, quod dicta die illum admittere debuisset, cum ex Processu informatiuo facto per Canonicum Commissarium, non solum nulla probata remanserit macula Impuritatis, sed potiùs ad euidentiam resultabat probatio puritatis Familiæ Principalis, vtique à dicta die, quo admitti debebat, iuxtà formam Statuti debet haberi pro admisso, & residente, perindè ac si verè, & realiter ei possessio extradita fuisset, & residentiam in dicta Ecclesia fecisset, vt clarè disponit præcitatum Statutum *d. num.* 1. *litt. I.*

Et quidem videtur ad hunc casum respexisse Summum Pontificem, scilicet ad casum, quo ab Informationibus captis à Canonico Informante appareat de qualificatione Prouisi, & nihilominus Capitulum aut denegat, aut negligit tradere Canonicatus possessionem, & proindè Summus Pontifex voluit, vt ille qualificatus repertus ex Informationibus factis à Canonico Commissario, extunc haberetur pro recepto, & admisso, ac pro præsente, & residente in omnibus, & per omnia, perindè ac si verè fuisset receptus, & admissus, & in corporalem possessionem inductus.

Non enim dicta pars Statuti compræhendere potest casum, quo Capitulum facta informatione, eaque visa Prouisum admittendum esse censet, quia tunc statim illum in possessionem immittit, sed pernecesse supponit casum, quo ex Informatione constat de qualitate statutaria, & Capitulum differt, aut negligit tradere possessionem, in hoc enim casu voluit Summus Pontifex, vt Prouisus post factas Informationes, si ex illis constet de qualitate deberet haberi pro Immisso, residente, & præsente, perinde ac si vsque tunc verè fuisset immissus in veram, & realem possessionem Canonicatus vnde cum Principali fructus sui Canonicatus debeantur à dicta die 13. Ianuarij 1713., quo fuit examinatus Processus informatiuus in Capitulo, ex quo constabat ex eo de qualitate requisita à Statuto, & ità quemadmodum dicta die debebat admitti, & pro admisso, & Possessore debet reputari, iuxtà formam dicti Statuti.

Hinc non obstat vnica exceptio, quam in sua responsione dedit Reuerendissimum Capitulum in notificatione Litterarum executorialium, quo scilicet Principali non debentur fructus, ex quo iuxtà Statuta, & Constitutiones dictæ S. Ecclesiæ in hoc Supremo Auditorio producenda non debentur fructus, ex quo residentiam non fe-

fecit in scamno Patientiæ, vt *ex dict. Summ. num. 2. litt. K.K.K.K.K.* nam non solum Reuerendissimum Capitulum in terminis ad docendum de paritione dicta Statuta, & Constitutiones non produxit, neque adhuc producit, dicimus, quod quocumque modo res se habeat residentia in Scamno Patientiæ est necessaria in illo, qui vult lucrari fructus, & distributiones Canonicatus à die, quo præsentat litteras suæ prouisionis, & toto eo tempore, quo fiunt per Canonicum Commissarium Informationes, illæque à Capitulo videantur, itaut Scabellum Patientiæ assignatur illis, donec, & quousque fiant puritatis probationes, tunc enim ille, qui vult dicto tempore lucrari fructus, & distributiones tenetur residere in dicto scamno patientiæ.

Principalis verò non prætendit distributiones, & fructus dicti Canonicatus à die, quo præsentauit litteras suæ prouisionis in Capitulo die 3. Octobris 1712. vsque ad diem secundam Ianuarij 1713. quo post finitas Informationes à Canonico informante fuerunt per Capitulum examinatæ, vt *ex Summ. Decisionum aliàs distributo nu. 70.* sed prætendit sibi debitos esse fructus, & distributiones dicti Canonicatus à dicta die secunda Ianuarij 1713., qua iuxtà formam Statuti debebat admitti, & non fuit ad possessionem summa cum iniustitia admissus, à dicta enim die 2. Ianuarij 1713. vsque ad præsens, ex quo ex iniusto facto Capituli fuit impeditus capere possessionem Canonicatus, in Ecclesia residere, & Horis Canonicis interesse, vtique à dicta die illi debentur fructus, & distributiones, tam ex dispositione Iuris, quàm ex forma Statuti dictæ S. Ecclesiæ confirmati per Sedem Apostolicam, vt supra probatum fuit.

Nec euitari potest declaratoria sub prætextu quod non fuerunt liquidati fructus, & distributiones Principali debitæ à die 2. Ianuarij 1713. vsque ad diem traditæ, seu tradendæ possessionis: quoniam tunc sub dicto pretextu retardari potest relaxatio declaratorię, quoties Rm̄um Capitulum obsequendo, prout par erat Litteris Executorialibus in termino ad docendum dę paritione comparuisset, & fecisset depositum alicuius quantitatis, & se obligasset soluere residuum post factam liquidationem, vt obseruant *Posth. de manuten. obseruat.* 103. *num.* 21., *& sequen. Adden. ad Buratt. decis.* 17. *num.* 6. *vers. dum autem nihil offert Rota decis.* 254. *num.* 8. *part.* 6., *& dec.* 12. *num.* 8. *par.* 11. *cum alijs adductis in Augustana Canonicatus super Declaratoria* 7. *Maij* 1723. *coram Reuerendissimo Ponente.*

Vltra quod etiam si Reuerendissimum Capitulum comparuisset, & opposuisset liquidationem, & fecisset depositum, adhuc tamen non posset in hoc casu declaratoriam euitare, nam cum Reuerendissimum Capitulum habeat pænès se libros, in quibus sunt adnotati fructus, & distributiones, quæ singulis Canonicis præstat singulis

an-

annis, quinimo cum teneatur persoluere Tribunali Sac. Inquisitionis fructus, & redditus vnius Canonicatus singulis annis, vnde cum liquidationem facere posset ex suis Libris, non potest opponere exceptionem liquidationis pro euitanda Declaratoria, vt in puncto *Rota decis.254. num. 9. part. 6. recen., & decis. 90. num. 8. & 22.*, & dixit *Rota in dicta Augustana Canonicatus §. Haud obstante circa medium.*

Quare &c.


Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

CORIO

Toletana Canonicatus ſuper
Declaratoria

PRO
Illmo D. Ioſepho Fernandez Iuber
quiſitore Regni Murtiæ, ac Ca
co S.Eccleſiæ Toletanæ.
CONTRA
Illmos DD.Decanum, & Capitul
S. Eccleſiæ Toletanæ.



Facti.

Typis Zinghi, & Monaldi 171